

fuérint, antequam defecerunt à veritate, ipsorum argumen-
tum, vel objectionem IV, seqv. modo invertit.

Paulus Galatas iteratis vicibus objurgat.

E. Paulus non est Galatarum inimicus.

Consequ. (1) *proponit per ἐρώτησιν v. 16: Num igitur inimicus vester factus sum? ὡς ἐξ Θεοῦ ὑμῶν γέγονα; Ubi interrogatio Apostoli habet vim fortius arguendi Galatas.*

(2) *Probat.* Nam causa finalis objurgationis, à Paulo itera-
tis vicibus factæ, non est Galatarum pernicies; sed emendatio,
& salus, ut doctrina falsa ipsorum animis eximatur, ejusque
loco veritas Evangelica ipsis rursus implantetur, & ab illâ ne-
mo imposterum, instinctu falsorum Doctorum, resiliat, quod
proponit v. eod. ἀληθείαν ὑμῖν, quia vera Vobis dico. Ubi Apost.
à se remouet omnem suspicionem odii, & inimicitiae erga
Galatas, & ostendit, quàm salutaris sit objurgatio fraterna; &
quod paucissimi hodie animadvertere cupiunt, dum in suis
peccatis perseverare malunt, quàm admittere, juxta manda-
tum Christi, reconciliationem fraternam. Pii autem Do-
ctores, exemplo Pauli, fortiter & intrepido animo pugnant,
& student retinere, & tueri veritatem Evangelii, neque cedunt
minis, & terroribus hominum, per quos venit corrupta do-
ctrina; sed semper ratione vocationis, & officii intenti sunt
in id, ut retineatur doctrina. Quamobrem fruuntur in
persecutionibus, bonâ conscientiam erga Deum, & retinent
bonam famam, apud rectè judicantes in Ecclesiâ. Novato-
res suâ pravâ doctrinâ faciunt distractiones, & Ecclesiam
Christianam turbant.

OBJECT. V.

*Nostri Doctores, qui Paulo absente, vel post illius discessum, in
Ecclesiis Galatiæ docent, nos valde emulantur, & ardenti
studio erga nos flagrant, ut illos emulemur, & imitemur.*

E. No